




15



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
SYSTEMATE MUNDI,

*QVAM*,  
PRÆSIDE DEO OPTIMO MAXIMO,  
*Ex Authoritate Magnisci D. Rectoris,*  
**D. JOHANNIS VOET, J. U. D.**  
Ejusdemque Facultatis in Illustri Academia Lugd.-  
Batava Professoris Ordinarii, dignissimi.  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicci Consensu, & Alme  
Facultatis PHILosophie Decreto,*  
**PRO GRADU DOCTORATUS, & LIBERA-**  
**LIUM ARTIUM MAGISTERIO,**  
Summisque in PHILosophia Honoribus & Privilegiis  
rite, ac legitime consequendis,

*Tublico examini subjicit*

**SAMUEL KOLESERI, UNGARUS.**

*Ad diem 30 Iunii, loco horisque solis.*



**LUGDVNI BATAVORVM,**  
Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII,  
Academia Typogr.

M D C LXXXI.

SPECTABILI, GENEROSISSIMO AC NOBILISSIMO HEROI,

DN. DN. MICHAELI TELEKI  
DE SZEK,

CELSISSIMI AC NATURALITER CLEMENTISSEMI TRANSYLVANIÆ PRINCIPIS, &c. A CONSLIIS INTIMIORIBUS, EXERCITUUM PRO DEO ET PATRIA, PRO NUNC IN HUNGARIA MILITANTIUM SUPREMO BELLI DUCI, COMITATUUM TORDENSIS ET MARAMAROSIENSIS COMITI, ARCIUM HUSZT ET KOVAR DISTRICTUSQUE EJUSDEM CAPITANEO, NEC NON DECIMARUM FISCALIUM ARENDATORI, UBIQUE SUPREMO, TRIUM IN TRANSYLVANIA COLLEGIORUM CURATORI BENIGNISSIMO, SUMMO RELIGIONIS REFORMATÆ COLUMINI; FAUTORI AC MOECENATI MEO MUNIFICENTISSIMO, DOMINO GRATIOSISSIMO.

SPECIMEN HOCCE PHILOSOPHICVM  
IN AVGVRALE HVMLIME

SACRVM FACIO,

SAMUEL KOLESERI,

SAMVELIS FILIVS,

AUTHOR.

SPECTABILIS AC VERE NOBILISSIME  
HEROS, MOECENAS GRATIOSISSIME,

**P**almarium & nobile illud ab Omni. Opifice Menti humanae impressum Philosophari , quanto apud omnes ab initio fuerit estimatio & veneratione, testes veterum & recentiorum utraque sunt pagina, nec sine iusta de causa profecto, quandoquidem Summum hominis Bonum naturali intellectus lumine asequendum, nullum praeter cognitionem veritatis per primas suas causas esse potest, que vera Sapientia est, quare nulla hominibus major debet esse cura & insignior opera; quam ut recta & evidente ratione viam sternente, in ipsa veritatis & sapientiae adyta penetrare adnitantur; hec certe Sapientia, est, quam Philosophia nobis tradit ἡδίσον τῶν πάντων ἀνταρτῶν, divino Platone teste, nec minus verè ἀθανάτῳ Χρήστῳ Epicteto dicente; si quidem, Bruta animantia, quibus prater corpus nihil est, quod conservent, hoc unum continenter agant, ut alimentum illi inveniant, quantum ergo hominum quorum precipua pars mens est prima cura esse debet ut sapientiam querant, qua verum est illius nutrimentum, nec ullus animo suavior cibis est cognitione veritatis, id ipsum aserente Lactantio. Philosophia est quae ut truncus reliquis ferme omnibus Disciplinis & scientiis suum exhibet succum & alimentum: imo nullus revera sincerus Theologus est nisi intelligat Mentem Sp. S. in Scriptura de rebus naturalibus loquentis; nullus accuratus Medicus est nisi ad regulam quam Philosophia prescribit attendat, ut ne pricipanter sine dignitione exacta causa & progressus morborum, Symptomatumque quicquam de iis judicet; hec præterea prudentiam & constantiam in vita civili, cateraque vita civilis adjumenta suppeditat, ita ut nullus sine hac clavum Reipublicæ tenere cum laude queat, nullus ad rostra cum Ciceronibus sedere, ad exedras cum Demosthenibus stare, salvo patriæ emolumento posse, nisi ope Philosophia suffultus fuerit. Hinc tanta Philosophorum estimatio orta est ut eos Magnates favore & auspiciis illustrare & promovere voluerint. Hujus itaque ego tam nobilis & curiose libri naturæ evolutionis abreptus amore, tuisque Mœcenas Munificentissime adjatus auspiciis, Philosophari ceipi: hoc est accuratas & evidentes rerum causas concatenata veritatum serie pro tenui ingeniali mei modulo deducere totis viribus adnisi sum; quantumque me & rationis decempeda res tam altas & subiles metiri licuit emensus sum; ita ut honoribus Doctoris insigniri me posse non desperarem; quos equidem petui, ut spem ab omnibus bonis de meisque

meisque studiis bene merentibus conceptam repulsam pati non sinerem, & ut  
in primis expectationi & votis Venerandissimi ac Dilectissimi Parentis id as-  
sidue efflagit antibus satisfacerem, qua posthabere, piaculum esse putavi,  
is enim solua est cui omnes meas debo fortunas, qui tantum de me sollici-  
tus in etate certe tenera, ad excolendum ingenii mei arvum ad Viros eru-  
ditione & ingenio praeclentes e terra remotissima transmisit, eorumque  
auscultatione beavit. Tibi autem Heros Magnamine Diataxin hancce  
offerre volui, ut testarer me tui beneficij non esse immemorem, tuum ita-  
que erit chartaceum hocce munuscum aquo ac favorabili vultu introspic-  
re, nec enim tanti Herois est munera poriu ex qualitate doni, quam ex  
donantis affectu pensitare; ignoscet scio juvenilibus ausis, nec hocce cona-  
minis mei specimen in malam interpretaberis partem, tribues etiam ali-  
quid etati mea & judicio vix adhucdum maturo, forte nisi hac oblitis-  
sent majora exhibituro, interim in magnis voluisse sat est. Interea te Spe-  
ctabilis Domine, Deus O. M. nutantis Patriæ lumen & columnæ, Ecclesiæ  
& illustrium Scholarum rara pietate Promotorem diu salvum & incolu-  
mem cum Nobilissimata familia conservet; verbò: te divina providentia, se-  
verdotum favori & benigna tua gratia commendat

Nominis tui devotissimus  
Cultor,

S A M U E L   K O L E S E R I.

DIS-



DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
SYSTEMATE MUNDI.

THESES I.

Quantopere omnis Antiquitas in certis, evidenter & manifestissimisque Hypothesibus & Principiis, ex quibus reliquam Veritatum scientiam deducere posse videtur, iisdemque stabiliendis desideraverit, nemini dubium est opinor. Hypotheses enim & Principia ea sunt, quibus bene, firmiterque positis, accuratissime omnes sequentur consequentiae; male positis, actum de omni scientia est: nec unquam certior, evidentiorque ad assequendam veritatis cognitionem via esse potest firmis principiis & Hypothesibus; utpote quales etiam ipsi Scientiae certissimae Mathematicae Sectatores suis praemittunt Problematis & Theorematibus, tantumque hypotheses in Astronomia, quantum Axiomata in Geometria praestant. Ea siquidem quis invenerit, tum dum invenit maximam veritatum obtinuit partem, nam veritates tam indissolubili & mutuo nexu sunt sibi ipsis nexae, ut una positae reliquae sponte sequantur. Oportet interim ea Principia &

A

Hy-

Hypotheses ex quibus consequentias deducere, variisque rerum causas reddere contendit Philosophus tam *clara & evidens* esse, ut mens earum veritatem in dubium vocare nec possit, nec debeat; tam *concatenata, connexa* cum suis consequentiis ut tota consequiarum cognitio, illis suum debeat ortum, sed non vicissim illorum his: Talibus ita positis, adnoti Philosophum oportet ut notitiam rerum, ex principiis hisce, à quibus dependent ita deducat, ut nihil in tota deductionum serie inveniatur, quod non sit manifestissimum. Is profecto solus Philosophus est, qui excussis præjudiciis de solis clarè & distinctè perceptis judicat: Et utinam observatum hoc à veteribus fuisset, feliores certè & ipsi & posteritas extitissent; Posteri enim veterum præceptis & affertis omnium præsertim consensu traditis discedere religioni habuerunt; Sed cum omnes scientiæ in rude Minerva & incompta forma se se illis conspicendas præberent, facile testimonia sensuum, luminationis præponderare existimarent, unde tanta præjudicia & inveteratae opiniones, veritati & scientiis hodie excultis noxam præbentes, ut enim faciles in judicando; & proclives ad quidvis sub specie veri afferendum; ita præcipites effugere non potuerunt quin omnibus erroribus obnoxii facti sint. Nos vero veritatem præmissa methodo investigaturi de *vero Mundi Systemate*, quod phænomenis in primis cœlestibus faciliter modo deducendis & solvendis, aptissimum est, lumine rationis præeunte & experientia rectam rationem sequente Disputatione hacce Inaugurali differemus.

### I I.

Non alienum verò à ratione erit, in limine nostræ dissertationis, quædam postulata æquo Lectori ad sequentia aditum parantia præmittere. I. Necesse in primis iis esse qui nobiscum veritatem indagare volunt, ut sint *animo omnibus omnino præjudicis vacuo* & ut à judicio ferendo de quibuscunque rebus tamdiu abstineant, donec illum clarè & distinctè perceptam, notamque habuerint. Præterea II. Ne veritatis certissimum & inexpugnabile criterium Antiquitatem & receptam ab infantia opinionem esse pueri; ridiculum certe esset Antiquitatem nihil penitus ignorasse statuere, infelicia illa ingenia non immorito Magnus Scaliger appellat, qua mordacius sentiunt, Majores nostros nihil ignorasse, misere enim eos in plurimis hallucinatos fuisse nullus qui cuncta hodierna cum veteribus contulerit ne-  
gabit.

gabit. iii. Ne *omnia sensibus metiamur h. e. ne de rebus prout videntur & sensibus apparent*; sed prout in se & revera sunt, judicemus. iv. Ne *Terram pricipuam Universi partem esse putemus*, eam enim ad Universum comparatam puncti cuiusdam insensibilis rationem habere, sequens dissertatio exhibebit. v. Nec *omnia propter hominem facta esse affirmemus*; temerarius certe esset si quis instruētissimam amplissimam sapientis cuiuspam Artificis officinam ingressus, rerum instrumentorumque in ea contentorum rudis & plane expers, illa omnia ad hunc vel illum usum destinata esse statuat.

I I I.

His praemissis ad rem accedamus: Constat Ptolomaum Machinam Systematis mundani, duabus Hypothesibus nixam *Quietem* scilicet *Telluris* in centro mundi & *Mobilitate Solis* circa Tellurem, orbi literario ab aliis ante ipsum jam excogitatam exhibuisse; quæ an vera & phænomenis apprimè conveniens, iisque solvendis sufficiens sit scrutari non neglexerunt Astronomo-Philosophi, tam veteres, quam inæstimabili solertia, magna seculi sui felicitate hodierni. Sed cum Systema Ptolomaicum, nullis ex accuratiorebus satisfecit; hinc suspicio omnibus adeoque ipsis Ptolomaicæ sententiæ sequacibus suborta fuit, aliud Systema superesse oportere Ptolomaico verius, tantis enim nugis plusquam puerilibus refertum esse, orbium solidorum, Epicyclorum, Aequantium, Deferentium, Excentricorum & similium chymærarum, quæ Ens rationis Logicorum potius, quam ullam Realem essentiam redolent, apud omnes in competitio est. Hinc non etiam defuit alia via & hypothesis ad phænomena explicanda & solvenda ab ipsis veteribus tentata, ut ex eorum scriptis, vel saltem vitis patet. Refert Plutarchus in vitis illustrium virorum de Numa Pompilio, *ipsum* nimirum, *Templum Vestæ rotundum* fecisse ad imaginem *Universi*, inque medio ejus constituisse aeternum ignem ut *Solaris ignis symbolum*. Idem Cicero libro 2. de Oratore testatur: *A quondam Italia Pythagoreorum fuit, ex quo etiam quidam Numam Pompilium Regem nostrum fuisse, Pythagoreum ferunt, qui annis permultis fuit, antequam ipse Pythagoras*. Sequutus Pythagoras Samius est trecentis & quod excedit Discipulis nobilitatus, novæ Hypotheseos à Ptolomaica diversæ de *Mobilitate Telluris* Assertor acerrimus. Ipsum sectati sunt, Philolaus Crotoniates, Heraclides Ponticus, Aristarchus Samius, qui etiam scriptis opinionem Pythagoræ expressi

pressit, Echphantus Pythagoricus, Plato, Nicetas, Seleucus &c.  
aliisque magni nominis Mathematici & Philosophi. Idem ipse  
Aristoteles de Pythagoricis lib. 2. De Cœlo C. 12. testatur. Ἐναντίως  
εἰ τοῖς τινὶ Ἰππαῖσι καλέμφροι δὲ Πυθαγόρειοι. λέγουσιν δὴ μὴ  
γε ἐμέσος πῦρ (ἥλιον) εἶναι, Φασι, τινὶ δὲ γῆν ἐν ταῖς ἀστροῖς  
κύκλῳ Φερομέροις τοῖς τῷ μέσον, νύκτα τε καὶ ἡμέραν ποιεῖν. Ita Pla-  
to in Timao, inquit Animam Mundi, opifex in medio collocavit —  
Terram altricem nostram circa polum per universum extensem alligatam  
diei & noctis effectricem voluit Deus. Item Plutarchus libro 3. de Placitis  
Philosophorum, Cap. 13. Οἱ μὲν ἄλλοι μένειν τινὶ γῆν. Φιλόλαος  
δὲ ὁ Πυθαγόρειος κύκλῳ τοῖς φέρεσθαι περὶ τὸ πῦρ καὶ κύκλῳ λοξῷ,  
οὐκοτεῖπος ἥλιῳ καὶ στλιώῃ. Ηράκλειδης ὁ Ποντικὸς καὶ Ἐφαντός  
ὁ Πυθαγόρειος κινεῖται μὲν τινὶ γῇ, καὶ μὲν γέ μετασπιᾶς, τεχνή  
διχλιαὶ ζονισμέροις διπλῶν ἐπ' ἀναλοκᾶς τοῖς τῷ ἕδιον αὐτῆς  
κεντροῖς.

#### I V.

Atque has duas sententias conjungens acerissimi ingenii vir Nicolaus Copernicus aliud Systema, aliam Hypothesin à Ptolomaica diversissimam jam à Veteribus tentatam; sed fere collapsam resu-  
citavit & stabilivit, suique nominis æternitatem consequutus est,  
quo Systemate nullum facilius, nec phænomenis & motibus cœ-  
lestibus, determinatim & regulariter sine Epicyclis, Excentricis,  
Homocentricis, Deferentibus, & Motibus raptūs, supputandis  
accommodatius repertum hactenus est. Sic sententia de terra mobili  
à Copernico instaurata sectatores habuit nobiliores quoque supe-  
rioris & hujus seculi Astronomos & Philosophos Maesthlinum,  
ingeniosissimum Galilæum de Galilæis, Keplerum, Stevinum,  
Guilielnum Gisbertum, Lansbergium, Hugenium, Hortensium,  
Guilielnum Blau, solertiissimum Hevelium: summopere vero  
illustravit & explicuit insigne illud seculi nostri lumen illustris Re-  
natus Des-Cartes Philosophorum facile primus Systema Coperni-  
canum ita ut nihil difficultatis in eo superficit. Faciein hujus Systematis  
exhibuit Copernicus libr. I. Revol. cap. 10. in centro Solem tan-  
quam in folio regali residere faciens, Solem excipit Mercurius 87.  
dierum, 23 hor. 26 minut. Spatio Solem circumiens. Mer-  
curium excipit Venus 224. diebus, 17. hor. 45. minut. circuitum fa-  
ciens. Sequitur Tellus cum orbe Lunari 365. diebus, 5. hor.  
49. minut. annuam revolutionem faciens. Tellurem sequitur

Mars

Mars uno anno 10. Mens. 17. dieb. 22. hor. 21. minut. gyrans.  
Martem Jupiter 11. Annis. 10. Mens. 9. dieb. 14. hor. 10. minut.  
mobilis cum 4. satellitibus dictis Stellis Medicæsis. Extremus Plane-  
tarum Saturnus 29. Annis. 5. Mens. dieb. 4. 12. minutis, cum suis  
æscclis circuitum circa Solem complens, juxta computum solertissimi  
Hevelii in sua Selenograph. pag. 167. Denique sunt Stellæ  
fixæ planè immobiles, ad quas motus & positio cæterorum syde-  
rum confertur.

V.

Adoptato itaque cum omnibus eximiis hujus seculi Mathematicis & Philosophis Systemate Pythagorico - Copernicano, illud deinceps retinebimus & sequemur his solis exceptis, ut Sol quidem sit centrum convolutionis omnium Planetarum; sed non centrum Universi, adeoque in suo vortice s. orbita omnia ista Planetarum contineat Systemata. Denique ut Stellæ Fixæ, ipsi Soli magnitudine æquales, tanquam totidem Soles non in una sphæra collocentur; sed hæ majori, illæ minori intervallo, supra & infra Solem distent. Quia vero præcipua & primaria Hypothesis, cui tota res innitur in nostro Systmate est, quod Ptolomaico luxato & Tellure una cum satelliti Lunari è meditullio Universi in orbem s. vorticem Solis abducta Solem in Centro Planetarum reponamus, Telluremque circa illud centrum moveri annuatim statuamus, è re esse puto ut eam argumentis à recta ratione petitis stabiliamus & confirmenus, præmissa Admonitione, Cl. Hortensi ad Lect. in Præf. Inst. Astron. Guil. Blau. Velle, inquit, omnes rens ipsam penitus introspicerent antequam ferrent censuram; nec propterea quod odiosa est & apud vulgum absurdia hæc hypothesis Copernic. continuò re-  
jicendam putarent, non expensis rationibus, quas in sui defensionem adferri Copernicus.

V I.

Ut ordine procedatur, examinabimus breviter opinionem certissimam (ut volunt Ptolomaico-Aristoteli) præjudiciis tamen nimiam, Tellurem scil. esse centrum Universi, quæ imprimis laborat in eo quod falso nitatur supposito, assumitur enim de centro Universi aliquem posse esse certum, profecto cuius fines & limites nobis nulla cognitos ratione, nec divina revelatione habemus, ejus nec de centro statuere, sine temeritate quicquam possumus; sed cum Universi terminos nullos omnino cognitos habeamus, ubicunque

enim fines illos fingamus semper ultra ipsos aliqua spatha indefinitè extensa, non modo imaginiamur; sed etiam verè imaginabilia h. e. realia percipimus ac proinde etiam substantiam corpoream indefinitè extensam in iis contineri, ut nos docet Nobilis. Phil. Princ. part. 2. §. 21. temerarium certe est & in omnipotentiam Dei injurium, homunciones, qui Deo à consiliis non fuerunt, terminos Universi determinare velle. Præterea quā lineā infinitā partem diuidiam, partem tertiam &c.? quā numeri infiniti medium, quā infinitā peripheriā centrum? & proinde quā indefinitā extensionis partem ab extremitatibus æquidistantē assignabimus? Hæc quā fieri possint non capio. Sed demus Adversaris ad placitum, Mundi centrum dari, quæ ratio sit vel esse possit, quæ illud tellurē esse suadeat plane non video.

V I I.

Deinde experimur divino illo invento, quo cœlos scandere licet, Telluris nostræ maximam cum Planetis & Planetarum cum Tellure similitudinem & conformitatem. Conveniunt in hoc omnes simul cum tellure quod à Sole illustrati luceant, omni proprio & nativo lumine destituti, appareat hoc vel ex eo quod lumen eorum sit placidius, fixarum autem vibrans scintillans & magis vividum: apparet præterea ea ex phasis Planetæ Veneris, Iphius Lunæ phasis omnino analogis, juxta illud Galilæi de Venere: *Cynica figuræ amulatur Mater Amorum*. Conformis Tellus Planetis imprimis Lunæ in hoc etiam est quod, ut tellus ex opacis & crassis corporibus constat, ita Lunam tam quoad substantiam quam quoad superficiem, tot acclivitatibus, declivitatibus & prominentiis constare omnibus hodie notum est Astronomis; faciem Lunæ eam quæ semper nobis obversa est & illuminatur à Sole simul ac Tellure exhibuit nobis accuratissime D. Hevelius in sua Selenographia, in qua Regiones in Luna, Montes, Valles, Paludes, Maria nostris omnino similima iisdem quibus apud nos in Tellure distinxit nominibus, ut & Galil. in Syst. Mundi p. 55.-59. reliquos vero Planetas etiam quoad substantiam Soli ditatem nimis & crassitudinem suam à Luna non differre, evincit Telescopium. Ex his concludimus Tellurem nostram à Sole illustraram quoad lumen à Planetis non differre, constat enim at diximus ex talibus corporibus quæ Solis radios excipientia, non minus validè quam Luna reflectere queant, immo nubes quibus Tellus involuta est, et si minus sint opacæ & crasse reliquis ejus partibus; illustratæ tamen à Sole, non minus albiant quam Luna: ac proinde Tellurem Planetam esse statuimus.

VIII.

## V I I I.

Si itaque Tellus quoad substantiam & quoad Lumen non differat à Planetis ; quin' maximè conveniat , nihil obest quo minus eam & in motu cum iisdem convenire statuamus. Antequam vero hoc demonstretur , præmittenda quædam de natura motus esse existimo, ut omnis difficultas quæ hac in resita est , tolli queat. Motum cum Nobiliss. Philos. Princ. p. 2. §. 25. Translationem unius corporis , ex vicinia eorum corporum , qua illud immediate contingunt , & tanquam quiescentia spectantur in viciniam aliorum , ad accuratam motū naturam attendentes definimus. Hic vero notandum est non motenti competere translationem ; sed ipsi mobili ; & motum esse modum rei motæ , non secus ac figuram , figuratæ , quietem , quiescentis &c. ita ut hic serio cavendum sit illud præjudicium , quo plus actionis corporeæ ad motum requiri arbitramur , quam ad quietem , cum revera actio non sit de formali ratione ipsius motus ; sed motum simul & quietem esse tantum diversos modos. Præterea eam translationem fieri ex contiguitate variorum corporum tanquam quiescentium , eamque esse necessariò reciprocum , secundum illas scil. superficies secundum quas fit translatio. Notandum est præterea Motus vocabulum aliquando etiam de eo usurpari quod tanquam pars alterius corporis moti seu simul cum eo deferatur , et si proprie non moveatur , nec recedat à corporibus contiguis , quem Motum , Delationem vocare solemus.

## I X.

His præmissis : constat Planetas omnes in vortice Solis fluidissimo hærere , qui vortex à creatione Mundi , motum ab O. opifice sibi inditum , juxta Legem naturæ assiduè continuans ab Occidente versus Orientem , circa suum centrum Solem scil. volvitur. Qui motus cum versus unam partem determinatus sit , habeatque in sua orbita corpora densa & dura , illa corpora simul secum defert , sicut in secundo flumine naves deferuntur ; unde evidenter sequitur Planetas motu propriè dicto destitutos esse ; sed tantum à materia vorticis Solis deferri , sicut homo sedens in navi validissimè mota , moveri dici nequit. Atque adeò propriè & absolute loquendo naturam motus Planetis ex quibus est Tellus non convenire , non enim transferuntur ex vicinia corporum immediate contiguorum ; interim tamen si telluri triplicem motum improprie quamvis dictum tribuamus cum Systemate Pythagorico.

Copernicano ab errandi periculo tuti erimus. Tripes ille motus impropriè dictus seu delatio in Tellure, vocatur *Annus*, quo in vor- tice Solis circa Solem totum circulum anni spatio in consequentia signorum describit. *Diurnus*, quo in se rotatur circa proprium axem ab occasu per meridiem in ortum singulis diebus, revolutione 24 horarum. *Inclinationis* s. *Declinationis*, qui est continentia axis tel- luris in perpetuo sui secum parallelismo. Ita ut hic motus sit tan- tum aliqua præcedentium modificatio. Notari autem potest axem circa quem tellus 24 hor. spatio convolvitur, non esse per- pendiculariter erectum supra planum Ecclipticæ, in quo anni spa- tio circa Solem defertur; sed plusquam 23 gradibus à perpendiculari declinat, cuius rationem dat acutiss. Cartesius, quain vide sis Princ. par. 3. §. 115. Atqui hi tres motus in tellure considerantur, per quos commodissimè omnibus phænomenis cœlestibus fitis fit, quos necesse est ut argumentis Astronomico-Physicis stabilia- nus.

X.

Certum autem apud omnes oculatores est, Pythagorico-Copernicanos suffragio rationum esse potiores, quod manifestum est, tam ex pondere rationum, quibus hæc hypothesis propugnatur, quam ex iis defensionibus, quæ ratiunculis impugnantium oppo- nuntur. Priora igitur perlequimus argumenta I. Data mobilitate telluris tollitur statim inane primi mobilis figmentum, quod omnia corpora cœlestia, omnes stellas fixas ipso Sole aut maiores aut certe ipsi æquales, omnesque Planetas per immensam distantiam à Stellis fixis distantes, ipsis motum imprimendo secum rapiat. II. Tollitur rapidissima & omnem perceptionem effugiens motus velocitas; qua immensa cœli Stellati machina, tot millenis myria- dibus ipso globo telluris major spatio diei & noctis circa tellurem puncti cuiusdam insensibilis, respectu ipsius cœli, rationem ha- bentis circumvolvi debet; persuadere mihi plane nequeo posse quenquam esse, cui rationabilius, credibiliusque videatur hanc circumgyrationem in machinam cœlestem cadere, quam globum terrestrem immotum stare. Nam quamvis aliquod in æquatore ter- restri punctum acceptum celeritatem bombardici globi, dum è fistula exit, exæquet; nulla tamen est comparatio hujus motus cum illo, qui est quinquages millies rapidior juxta communem sententiam; ita ut una sexagesima horæ parte debet Saturnus 900 mil-

milliar. German. ac Stellæ fixæ plusquam 643000 eorum milliarum percurrere. III. Eadem prorsus effecta sequentur si Terra Sola moveatur omni reliquo universo cessante, quam si solā Terrā quiescente, totum Universum eodem modo moveatur; ecquis credibile sibi existimet, naturam (quæ omnium judicio plurium rerum interventu non efficit id; quod paucioribus expedire potest) movere maluisse numerum immensum vastissinorum corporum, inæstimabili velocitate, ad consequendum id, quod mediocri solius parvuli corporis circa proprium centrum rotationis obtineri poterat? IV. Confirmatur idem si comparenus corporum cœlestium quantitatem cum terrestri, Sol ad minimum ducenties major est tellure, Stellæ verò fixæ etiam sextæ magnitudinis testibus Astronomis cum sint Sole majores, cui non verosimilis fiat, tellurem rotari circa suam axem motu naturali, quam tanta & tam vasta corpora de loco in locum moveri. V. Notum ex natura motus est, motus determinationem versus partem aliquam & occursum corporis illa in parte quiescentis aut aliter moti maximè inter se contraria esse, supposito autem motu Cœli Ptolomaico, necesse est duos dari motus, unum ab Occidente ad Orientem Planetarum; alterum ab Ortu ad Occasum omnes Sphæras Planetarum rapidissimo motu spatio 24 horarum rapientis, qui duo motus maxime sibi ipsis sunt oppositi: Admissa vero Terræ delatione diurna tollitur contrarietas motuum, ac solus motus ab Occidente ad Orientem accommodatur omnibus phænomenis cœlestibus, iisq; exacte satisfacit. VI. Turbatur ordo, quem corpora cœlestia obtinent, ut nimis, quanto major orbis est, tanto longiori tempore suam revolutionem obtineat & finiat; minores verò breviori; data enī Terra quiete & immobilitate, necesse erit postquam à brevissima Lunæ periodo pervenerimus ad Martem duorum annorum, Jovis duodecim, Saturni 30; hinc transire ad aliam Sphærā incomparabiliter majorem, eique revolutionem 24 horarum spatio finitam attribuere: Retenta verò Terræ delatione, ordo periodorum optimè sibi constat & Mundi Decori consultitur, à sphera enim Saturni tardi motus transitur ad Stellas fixas prorsus immobiles. VIII. Quoniam omnes Astronomi illustriores, coacti apparentiis, negant orbes solidos, quos antiqui ad faciliorem stellarum motus hypothesin adhibebant, idcirco multò incredibilior videtur illarum circumvolutio circa Tellurem. IX. Nulla est vera ratio cur

stellæ circa Tellurem moveantur , cum nec polus nec axis est realis , circa quem stellæ ferri ponuntur , contra in Tellure & polus & axis realis est . X. Posito motu Firmamenti , stellæ Fixæ altitudinem meridianam immutare debent , cum circulis & velocitatibus suis : ita ut stellæ æquinoctiali olim viciniores , atque sic majores circulos describentes , nunc propter declinationem suam , minores conficiant & ob id motu tardiores factæ appareant . XI. Detur Ptolomaico - Tychonicis cælum diurna motione circa Tellurem moveri , nulla tamen quies Telluris ex eo evincetur , imo plus motus ipsi illa hypothesis quam nostra tribuet , attendantibus enim ad prædictam motus naturam , evidentissimum est moto Cœlo circa Tellurem , necesse debere fieri Translationem omnium Terræ partium , ex vicinia partium cœli quibus contiguae sunt , in viciniam aliarum , sup . § . 8 . & cum hæc translatio sit reciproca , cumq ; eadem vis requiratur ad illam Translationem in Terra ac in Cœlo , dicendum esset motum Terra tribui ; imo major ratio est cur Terræ duntaxat tribuatur , Cœlo immoto , Terra enim transfertur secundum totam suam superficiem à circum ambiente materia cœlesti : Cœli vero translatio fit tantum secundum partem concavam ipsi terra contiguam , quæ ad convexam comparata , est insensibiliter parva . XII. Præterea , data adhuc conversione 24 hor . cœli , eam tantæ virtutis & efficaciam Adversarii statuant oportet , ut secum rapiat omnes stellas , omnes etiam Planetas , Planeta enim si movetur , per suam orbitam , aut movetur à materia cœli , eum circumiacente , aut suo movetur impetu , si hoc : necesse tandem est ut materia illa cœlestis fluida ejus motui obsequatur ; sive simul cum Planeta tota deferatur . Si prius : necesse est Planetam ad eas partes deferri , ad quas à materia fluida circumiacente determinatur . Quomodo jam quæso fieri potest ut Terra penile Corpus in libero & fluidissimo aere hærens ad motum & quietem plane indifferens , sola immota cæteris omnibus corporibus rapidissime motis remaneat ? & globulus aliquis puncti rationem habens perrinaci quiete tanti motui reluctetur ? Non minus omnino hoc absurdum est ac si conciperemus in vastissimo Oceano plures naves alias , aliis & maiores & remotiores , accedentes vero vi aliqua , qua totus Oceanus rapidissimo cursu volveretur circulariter , statueremus naviculam aliquam exiguum moto toto Oceani tractu in medio maximarum navium manere immotam . Hoc si fieri illa ratione queat , ipsi viderint . Necessum certe est ut di-

camus tellurem nostram alias quietam facta illa rapida circumvolu-  
tione aut motui isti obsequi, ac proinde moveri ( fluidorum enim  
natura est quale cælum supponimus, ut cum determinantur versus  
aliquam partem, corpora etiam dura secum deferant) aut isti motui  
reluctari ac vi aliqua particulari separari à partibus fluidi contiguis;  
quæ rursus separatio peculiarem actionem requirens, terræ motus  
dicendus est. Eodem modo ac motum tribuimus navigio, quod re-  
mis impulsu[m], motui fluminis obnititur, quam ad rem plus actio-  
nis requiri; quâm requiritur ut placide cum motu fluminis feratur  
manifestissi num est. XIII. Multo facilior est navigatio ab Ori-  
ente versus Occidentem, quam ab Occidente in Orientem, ut ex  
Europa in Indiam Orientaliem navigatur 4 mensium spatio, &  
ex India in Europam redditur sex circiter mensium spatio. XIV.  
Multò convenientius lumini rationis est si statuamus Solem natura  
totaque substantia diversum à Planetis, è quorum numero Tellu-  
rem esse 6. viii. diximus, utpote Planetas lumine proprio desti-  
tutos, illuminantem, manere in medio immotum, & Terram ipsius  
ope & lumine cum cæteris Planetis indigam circa eum moveri. Quis  
enim in hoc pulcherrimo Templo ( cælum Planetarum intellige: )  
lampadem hanc in alio vel meliori loco poneret; quam unde totum  
simul illuminare possit? & ut ex eo loco tanquam solio regali cir-  
cumagentem gubernet Astrorum familiam, ut loquitur Coper-  
nicus Revolut. libr. 1. c. viii. XV. Dato terræ motu annuo, se-  
cundum rei veritatem apparet, cur Planetæ ( cæli in nudis circulis  
sine Epicyclis ) pari passu, motus suos perficiant, videanturque  
nobis nunc velociter, nunc tarde moveri, interdum stare aut re-  
trogredi, & quidem Saturnus lèpius & diutius quâm Jupiter, Jupi-  
ter quâm Mars, qui motus non alia ratione in Planetis sunt, quâm  
positus aliquis in vasto Oceano, si navis altera cum sua aquâ celeri-  
ter videatur moveri, illam stare credit, si tardius, in contrariam  
ferri partem; si celerius, præcurrere sibi, judicat. Cur Venus nun-  
quam majori intervallo à Sole quam 60 graduum, Mercurius vero  
30. ab eodem discedat? & ideo nunquam oppositi Soli conspicuntur,  
contra hypothesin Ptolomaicam. XVI. Motus ipsius Lunæ  
confirmat nostram sententiam, motu enim ejus cæli motui non  
esse consentaneum, si Terra in centro Mundi quiescat; esse au-  
tem si Telluri motus in Ecliptica tribuatur, nam juxta Ptolomæum  
tantudem semper in longitudinem Zodiaci movetur, quantum ip-

fa in suo orbe, & Sol in Ecliptica progreditur, quod fieri nullo modo potest nisi admittas tantundem Lunam à suo curlo in Zodiaco deficere, quantum Sol interim procedit. Stante vero terra mobilis motus Lunæ perfectissime compositus erit ex motu ejus in proprio orbe & solis in ecliptica. XVII. Præterea tertium telluris motum aut potius motū determinationem esse omnino necessariam dicimus, secus enim nulla commoda & evidens ratio ad vicissitudines dierum & noctium, æstatis & hyemis solvendas afferri potest. XVIII. Tollitur sphærae octavæ motus latus aliquot millium annuum, quem ad solvendas præcessiones Äquinoctiorum excogitare veteres, hunc tamen motum, quem vocant in consequentia signorum, nihil esse præter puncti Äquinoctii motum in præcedentia signorum, ab hoc tertio motu telluris ortum, demonstrant Copernicani. XIX. Hac hypothesi retenta evidentissimæ sunt rationes, cur eadem stellæ verticales semper sint, magnitudinisque eiusdem appareant, & declaratur facile quomodo altitudo Poli in unoquoque Terra loco eadem & invariata maneat. XX. Si itaque ratione universorum effectuum, qui à talibus motibus in natura dependere possunt, ex utralibet hypothesi sequerentur, eadem examinassim consequentia h. e. eadem eodem modo apparerent phænomena, existimandus is absurdissimè delirare, qui convenientius putaret totum universum movere ut terram immotam retineat, nec minus absurdè illo, qui non alia quam contemplandæ Urbis, agrique circumiacentis causâ speculæ summitatem descendens, regionem totam in gyrum agi sibi peteret, ne scilicet ipse capitis circumagendi laborem subire necesse haberet.

#### X I.

Non desunt etiam alia Argumenta Pythagorico-Copernicanis ab ipsis naturæ testimoniis petita & rationum verisimilitudine probata, quæ imprimis more Synthetico, Geometris proprio perspicacissimi ingenii Philosophus Ill. Renat. Des-Cartes in tribus *Principiorum Philosophiae partibus*, concatenata veritatum serie ac deductione demonstrata proposuit & ita quidem ut pertinacissimis quibusvis assensum extorquere queat: ut & ingeniosissimus Galilæus de Galilæis in suo *Systemate mundano*, accuratissime scripto. Videbis Argumenta vel plura vel prolixius diducta apud Copernicum ipsum in *Revol. Lipitorium in Coper Red. Bullialdum in Astr. Philolaica. Keplerum &c.* cæterosque omnes hujus Systematis Assertores, nobis

bis hæc brevitatis caufa ſufficient. Ut autem Aſſerti noſti Veritas  
pateat evidentius videbimus quam facile objeſtiunculis quibus vul-  
go hæc hypothefis impeti & oppugnari ſolet obviam iri queat. Ob-  
ſiunt. I. Posito telluris motu, fiet ut integrum hemiſphæriū,  
dimidiumve cœli apparituruſ non ſit; neque adeo ſex Zodiaci ſigna  
poſſunt perpetuò conſpici. Reſpondeatur. Ut jam ſæpius dictum to-  
tum ſemidiameſtrum orbis magni, ad ſemidiameſtrum ſphæræ Fixa-  
rum, inſtar puncti eſſe, & totam diſtantiam Solis & Terra (quæ cir-  
citer 1200. ſemidiameſtrō terra æquat) ad ſphærām fixām plane  
infenſibilem eſſe, non eſt ergo metuendūm moṭa tellure ſex ſigna  
Zodiaci & integrum hemiſphæriū non apparere; & quantumviſ  
magna pars viſu intercipiatur, tanta ſcīl. quanta eſt diſtantia Solis à  
terra tempore æquinoctii, hæc tamen reſpectu altitudinis Cœli ſte-  
lati plane evanescit. Non ſecus ac homo conſtitutus in vaſtissimo O-  
ceano paululum procedens perinde poṭest dimidium Cœli videre  
ac anteā quām priorem locum ſervabat. II. Si tellus annua delatione  
circumvolvatur circa Solem, eundem ſemper ſitum inter Fixas fer-  
vantem, neceſſe erit, Terram quæ circa illum fertur ad ipſas ac-  
cedere, ac recedere toto ſuę orbitæ intervallo, adeoque ipſas  
modò majores, cum ipſis propior eſt, modo minores, cum ab  
illis remotior, appariſtas. Be. Nulla hic diſcultas erit ſi attenda-  
mus ad vaſtissimam iſtam diſtantiam quæ inter nos & ſtellas Fixas  
eſt, & quamviſ talis acceſſus, vel recessus detur, nobis tamen eſt  
infenſibilis; quæ diſtantia tanta eſt ut proportio etiam totius ſyſte-  
matiſ Planetarii ſeſe habeat ad ſemidiameſtrum Firmamenti ut Pi-  
ſum ad quindecim pedes Gedanenſes Mathematico teſte. III. Non  
poṭest Sol Apogæus, & Perigæus, oriri & occidere dici &c. ¶.  
Quid inde; etiamſi ſol non poſſit, dici tellus poṭest Aphelia & Pe-  
rihelia: interim tamen quia receptas voces Philoſ. ſervare debet,  
etiamſi accuratiuſ & ſanori ſenſu eas interpretetur, ipſi hujus hy-  
potheſeoſ ſectatores non abhorrent dicere Solem oriri, occidere,  
eſſe in ſigno, hoc vel illo, loquuti cum vulgo prout nimis. apparet;  
& Solem eſſe Apogæum, quando Terra eſt Aphelia; Perigæum cum  
Perihelia, dici poṭest, quamviſ de Sole appareater, de terra vero  
reipſa. IV. Fore, inquunt, ut neque iudem Planetariorum adſpectus,  
neque eorundem latitudines, neque Lunæ Phaſes ac Eclipses,  
perinde appaſtant. ¶. Cum ex ſupra dictis conſtet eadem ſequi  
phaenomena Terra vel Sole moto, quām ipſa Terra ſit quæ revera

moveatur; per Eclipticam & Sol tamen est appariturus eam describere &c. hujus objectionis falsitas cuivis nostram hypothesin accusatiū introspicienti patebit. V. Reputatur inconveniens & inconcinnum tam immensam supponere inter nos & Fixas distantiam ut totus magnus orbis telluris instar puncti sit habendus? *¶*. Fateor sane, incredibile videri posse magnalia Dei considerare non assuefatis & Terram ut præcipuam partem Universi ac Domicilium hominis, propter quem cætera omnia facta sint spectantibus, iis tamen qui excussis anilibus præjudiciis rem accuratius examinant non ita mirum videtur; si enim stellarum altitudinem, cum distantiis hic supra terram noris vellemus comparare, illa quæ jam iis ab omnibus conceditur, non esset minus incredibilis, quam quævis major; si vero ad Dei Creatoris omnipotentiam respiciamus, nulla potest cogitari tam magna, ut ideo sit minus credibilis, quam quævis minor. VI. Tellurem inquunt esse Corpus gravissimum & ad motum minime idoneum. *¶*. Falsum est totam tellurem in se spectatam gravissimum corpus esse, quoad ejus partes non negamus; sed tota tellus nec gravis nec levis magis dici debet, quam Luna, Venus, Mercurius, aliique Planetæ. Fiat tamen terra gravis; ponaturque extra locum suum in quo nunc est v. c. in locum Jovis, eam eo delata in ubi nunc est, quod isto in loco commodissime circa Solem defiri possit ut hoc accurate demonstrat Nob. Cartesius in 3. Princip. Philos. parte. VII. Terram esse Corpus simplex, adeoque & simplicem motum nempe rectum ei convenire non circularem. *¶*. Falsum rursus est Terram esse corpus simplex, quin eam esse omnis generis corpusculorum ~~et levigatum~~ accuratioris ævi Philosophi non dubitant. Fateor, omne corpus quatenus in se & absolute spectatur motum iri per lineam rectam, sed de terra hoc dici nequit, non enim Terra sibi ipsi relictæ & absolutè sic considerata, movetur; sed ab externa vi defertur. VIII. Quod si Terra spatio 24. horarum circa suum centrum ageretur fore ut ædificia brevi corruerent ac terra ipsa tanto impetu agitata dissolveretur. *¶*. Hoc argumentum est contra eos qui statuunt Terram aliquamdiu fuisse immobilem, ut ædificia, animaliaque suas sedes figere potuerint, ac postea, cepisse moveri. Mira stupiditas! Præterea Respondemus cura subtilis. Cart. Princ. Phil. p. 4. §. 21. Si omnia spatia circa Terram, quæ ab ipsius terræ materia non occupantur vacua essent, hoc est si nihil continerent nisi Corpus quod motus alio-

aliorum Corporum nulla ratione adjuvaret vel impediret; fore ut illæ omnes ejus partes, quæ sibi mutuò non essent adeò firmiter alligatae, hinc inde versus cœlum diffilirent; cum autem nullum tale vacuum sit, nec terra proprio motu moveatur; sed à materia cœlesti, eam ambiente, omnesque ejus poros pervadente deferatur, prematque illa materia omnes partes terræ versus ipsius superficiem non est metuenda talis terræ ~~natura&stria~~. Præterea ille motus est æquabilis, nec terra in aliud Corpus impingit, adeoque illa omnia corpora in superficie telluris deferuntur, tanquam in navi. IX. Gravia non caderent ad perpendiculum. ¶ Imò verò; nam, lapis v. c. è turri demissus, non uno simplici motu movetur nimis recto; sed retinet etiam illum motum quem cum turri communem habuit nimirum circularem, adeoque cum ejus motus sit ex descensori & lateralí compositus non est metuendum lapidem prætergressâ terrâ aliorum casurum; nam etiam aër in eundem cum terra motum consentiens lapidis motum juvat; imò eundem motum circularem quem antea cum turri habuit, deserendo æquè ac terram conservat. X. Globum è tormento versus Orientem ad metam aliquam explosum, non posse eam attingere; meta enim cum tellure versus Occidentem progreditur. ¶ Nulla hic difficultas est attendantibus ad rem ipsam; supponamus ex. c. tellurem eo momento quo bombarda exploditur habere vim quâ per quatuor millaria movetur; bombarda illa habet etiam motum eundem quo per quatuor millaria Orientem versus cum tellure progreditur; ponamus præterea bombardam tantum impetum globo imprimere ut isto impetu moveatur per duo millaria, que quæso difficultas hic esse potest? an non iñis viribus, quas globus à bombardâ accepit attinget metam? alii præterea tantundem deferentur, quantum meta? XI. Fore ut perpetuum ventum sentiamus. ¶ Quæ est ratio quod Urinatores nullam gravitatem aquæ ipsi incumbentis sentiant; annon hoc est ab æquilibrio? annon omnis aër, omneque Corpus interceptum à Terra & Luna simul defertur? non mirum omnino si nullum ventum sentiamus; sicut nihil pro ligi est si quis nos gladio insequatur & nunquam vulnera infligit, si supponatur nos ipso celerius moveri, ut fuga iectum avertamus.

### X I I.

Atque his paucis nostram hypothesin asseruimus, & ab objectiunculis quibus vulgo impeditur vindicavimus, reliqua quæ adduc-

cun-

cuntur Argumenta, tanquam talia quæ nos non concernunt, sponte prætermisimus; admittendum enim Philosopho est ut ad ea sola quæ suæ rationis decempeda metiri potest, suum extendat territorium & ulterius procedere religioni habeat; indecorum enim est μετέχαινειν εἰς ἄλλο γένος. Habes itaque hīc Lector veritatis avide, ex hac hypothesi Systema ordinatissimum, mirandam Mundi fabricam potiori tūm ratione, tūm experientia nixam; Quia autem Hypothesin & Principium invenimus, quo firmiter asserto, & vindicato, evidentes Phænomena cælestium causas obtinemus, quorum demonstrationem ulterius persequi nunc non licet; alias prolixius circumstantiis id efflagitantibus Deo nostros conatus felici successu & progressibus secundante deducturi ac demonstraturi. Nihil interea nos movere debet si hæc Hypothesis tam odiosa, toties proscripta & apud vulgum absurdula sit, nam hominis Philosophi cogitationes à vulgi iudicio sunt remota, propterea quod illis studium sit, in rebus omnibus inquirere veritatem per se, cui istud mercenarium & ignobile, etiam sub Philosophiæ titulo, recepta mendacia anteponit. Quamvis ergo scias te tribuente Terraæ globo quosdam motus statim cum tali opinione explodendum, alienas tamen prorsus à rectitudine opiniones fugiendas censeto; Neque adeo cures quid de te stulti mortalium existiment; sed qualis coram Diis (: sapientibus:) in æternitatis libro conscribaris, ut libr. 3. c. ix. ad Copernicum fatur Jordanus Brunus. Manet ergo nostra assertio fixa & immota Tellurem nostram in libero & fluidissimo cœlo hærentem, ad motum vel quietem planè indifferentem, una cum circumfuso aëre, à materia cælesti s. vorticis Solaris, annua delatione circa Solem; & diurna circa proprium axem deferri, hoc est illam quiescere, nullamque ad motum propensionem habere; nihilominus motibus ætheris Solaris immotam obsequi. οὐασπ  
Ἐδι δεῖξα. Q. E. D.

F I N I S.

A N-

# ANNEXA PHILOSOPHICA.

## LOGICA,

1. Logica est Ars Cogitandi seu bene utendi ratione in rerum cognitione acquirenda.

2. Quatuor ad recta rationis usum necessario requiruntur: 1. Apprehensio seu perceptio rerum simplicium. 2. Iudicium seu illa Mentis operatio, per quam varias ideascopulantes, hanc esse illam affirmamus, vel negamus 3. Discursus cum è pluribus judiciis aliud elicimus. 4. Dispositio, quâ varias ideas, Iudicia & ratiocinationes, de uno eodemque subiecto recta methodo disponimus.

3. Unde recte Logica in 4. partes dividitur, 1. De Ideis. 2. De iudicio seu propositionibus quibus falsitas vel veritas inest. 3. De Discursu seu Syllogismo. 4. De Methodo, seu ordinata cogitationum dispositione.

4. Logica Peripatetica nihil prodest ad inventionē eorum quæ ignoramus.

5. Vera Logica 4. Regulis comprehendi potest: 1. Ut nihil unquam veluti verum admittatur, nisi quod certo & evidenter verum esse cognitum sit. 2. Ut difficultates in tot partes dividantur, quot expedit ad illas commodiū resolvendas. 3. Ut semper à simplicissimis & cognitu facillimiſ fiat progressus ad compostiora & difficiliora. 4. Ut nihil ex difficultatibus omittatur; sed omnia perfecte enumerentur & percurrentur.

## ETHICA.

1. In duobus summum hominis bonum in hac vita consistit, in Cognitione scil. optimi, & cogniti prosecutione.

2. Summum Bonum neque in Bonis fortuna, neque in voluptate Corporis consistit.

3. Non potest voluntas malum quâ malum appetere, nec bonum, quâ bonum odire.

4. Peccatum non est quicquam reale, nec à Deo procedere potest.

5. Datur in homine Libertas Arbitrii, neque ea in indifferentia consistit

6. Passiones Anima, quæ dicuntur, quatenus in corpore consistunt; sunt agitationes, quibus spiritus movent glandulam in medio cerebri sitam.

7. Odium reciproco odio augetur & amore contra deleri potest.

8. Odium quod Amore plane vincitur, in Amorem transit.

9. Affectibus prædominari, palmarium est.

## METAPHYSICA.

1. Theologia & Philosophia diversa habent Principia.

2. Ergo ha<sup>et</sup> due Facultates non possunt commisceri sine gravi errandi periculo.
3. Nihil Philosopho admittendum est, nisi quod clare & distinctè cognitum ipsi fuerit.
4. Claritas & evidentia à qua moveri potest voluntas ad assentiendum in rebus naturalibus est à lumine naturali.
5. Cogitatio est principium eorum quae in Mente sunt, quae proinde est inseparabilis à mente.
6. Infantes in utero materno cogitare facta unione Mentis cum Corpore, ex natura Mentis necessario sequitur.
7. Falsum est essentiam Mentis in potentia Cogitandi consistere.
8. Posse esse est non esse ; & plura requiruntur ad esse, quam ad non esse.
9. Corpus nullum potest cogitare et si totum compositum ex Mente & corpore constet.
10. Ergo Brutis nec cogitatio, nec sensus nisi in primo gradu competit.
11. Anima nullo modo est in loco, neque ex loco in locum movetur.
12. Mens habet ideam sui ipsius.
13. Ideas quas intellectus dividere non potest, non fuerunt composite ac proinde vera & immutabilis sunt nature.
14. Idea Dei positiva est omnibus hominibus ab ipso Archetypo insita, nec ab ullo atio effungi potest.
15. Hac idea Dei menti non semper actu praesens est.
16. Ab hac apodictica Existentia Dei demonstratio dependet & extra eam nulla est.
17. Infinitum à finito clare & distinctè concipi potest.
18. Atheus theoricus nullus est.

#### P. H Y S I C A.

1. In Mundo Corporeo nihil est quod non ex materia & motu constat.
2. Omne Corpus est aequè perfectum.
3. Rarefactio per poros & plures & maiores ; Condensatio vero per pauciores explicari potest.
4. Locus interius à substantia Corporea non differt.
5. Non dari plures Mundos ratio dictat.
6. Distantia est verus modus extensionis.
7. Omnis varietas dependet à motu.
8. Nullum Corpus à se moveatur, nec ulla res mutatur à ceteris.
9. Omnis mutatio corporum est naturalis.

10. Flui-

10. Fluidum Corpus est cuius exiguae partes in perpetua sunt agitatione.
11. Durities oritur à sola quiete partium.
12. In fluido Corpus minimum etiam movebit maximum.
13. Principium phænomenorum debet esse insensibile.
14. Systema Mundi quod à Nobiliss. Cartesio delineatur, non pro mera hypothesi; sed pro rei veritate habendum est.
15. Ex materia fluida circa Solem gyrante omnia phænomena coelestia deduci queunt.
16. Cœlum constat ex innumeris vorticibus, & in uniuscujusque centro est sydus lucidum.
17. Sydus globulis nostri vorticis solidius est Cometa, quare necessariò ex uno vortice tendet in alium.
18. Omnia Corpora terrestria ex particulis ramosis; & longuin em latitudinemque propemodum aqualem aut eandem eidem inaqualem habentibus oriri potuerunt.
19. Metalla versus medianam terræ regionem maxima copia sunt.
20. Aëstus Maris per pressionem Luna explicari potest.
21. Vapores non tantum ab aquæ superficie sed etiam ab humida Tellure originem suam trahunt.
22. Omnia Meteora ex vaporibus constant & conflantur.
23. Iris nihil aliud est, quam plurimæ aquæ guttae, quæ incidentes, Solis radios recipientes variis modis reflectunt variosque colores ad nostrum oculum remittunt.
24. Magnetis non magis proprium est ferrum trahere, quam fugare.
25. Magnes ferrum attrahere non posset; nisi vim suam ferro admoto communicaret.
26. Et facilius hac vis communicatur cum chalybe; quam cum ferro piliori.
27. Omnis vita corporea in calido & humido consistere vulgo statui solet.
28. Calor vitalis absque humido conservari nequit.
29. Ut fermentatio fieri queat debet adesse materia, eaque commoda.
30. Omnes bestiarum actiones per solam Spirituum vim & membrorum conformatiōnem explicari possunt.
31. Homo conatur ex mente & corpore organico.
32. Mens unitur corpori organizato, quæ unio in mutua actione & passione consistit.
33. Omnis Perceptio sensus, est in Mente.

34. Omnis aqua est calida.
35. Nullum corpus dolet; sed sola Mens.
36. Unus tantum sensus est nimirum Tactus.

## M A T H E M A T I C A .

1. Unitas non est Numerus.
2. In reflexione corporum angulus incidentia est equalis angulo reflexionis
3. Radii luminis ex diaphano rariore incidentes in medium densius refringuntur ad perpendicularium.
4. Contra: è medio densiore, transeuntes ad medium rarius refringuntur à perpendiculari.
5. Parallaxis est ille angulus, per quem sub alio cœli punto Stella videtur ab eo, qui in Telluris consilii superficie quam ab eo conspiceretur, qui in centro esset.
6. Linea non oritur à motu puncti.
7. Parallelæ in infinitum ductæ nunquam coincident.
8. Triangulum ratione lateris est Äquilaterum, Isosceles vel Scalenum: ratione vero anguli est Orthogonium, Amblygonium & Oxygonum.
9. Dimensio anguli per arcum interceptum à lateribus angulum constituentibus commode fieri potest.
10. Triangula similia non sunt æqualia.
11. Radii eiusdem circuli sunt inter se æquales.
12. Omnis circulus dividitur in 360. gradus.
13. Non datur quadratura Circuli.
14. Quadratum oritur ex productione lateris in latue.
15. Quarta Propositio libr. 1. Elem. Euclidis inter Axiomata numerari potest.
16. Linea etiam minima, quamvis apertura Circini etiam maxima, in quatuor partes dividi potest.
17. Sinus angulorum sunt proportionales lateribus oppositorum angulorum.
18. Una eademque linea non potest alterius linea Secans & Tangens esse simul.
19. Datis tribus in triangulo reliqua iuvenire facile est.
20. Inventire loci, in quo versamur longitudinem, ad quodvis tempus, vel quolibet die, primarium Geographiæ fundamentum est.

F I N I S.

